QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 16. Junii 1712.

M. JOANNE BOUDIN Regi ab omnibus consiliis & Medico perpetuo ordinario necnon S. S. Delphini & Delphinæ dum viverent primario, Doctore Medico Parisiensi, Præside.

Convenitne omnibus hominibus una & eadem vivendi ratio?

I.

QUANTA sit in Corpore humano, per assiduam perspirationem, succorum deperditio, nemini dubium est. Quotquot sunt occulti meatus per universam cutis substantiam disseminati, ad hoc unum instituti sunt ut reliquas roris nutritii particulas excernant; dum scilicet repetitis arteriarum oscillationibus tenuiores factæ, hujus tandem texturæ sunt ut angustas adeò vias possint facilè permeare. Inde alimentorum necessitas; si enim ferè mentem fugit multiplex vasorum apparatus & immanis longitudo, stupenda sanè, & vix satis hucusque ponderata liquidorum vaporatio, non minorem postulat alimoniæ copiam quâ resarciri possit. Solida hæc vel fluida, cibo & potu continetur. Utriusque delectus & modus totam complectitur artem tuendæ sanitatis. Quidquid enim sub sanguinis specie, pravi vel boni succi, per universum corpus diffluit, primam subit in ventriculo mutationem, quæ digestionis nomine nuncupatur. An verò illa solâ & unicâ trituratione perficiatur, vel utrùm in partem operis veniat fermentum quoddam insitum intimas alimenti cujusvis particulas dividere natum, hîc non licet perpendere. Ingeniosum equidem triturationis systema, agentis Naturæ simplicitatem refert, & quidquid in succi dulcis & nutricii, qualis est Chylus, præparatione peragitur eleganter exponit. Videntur quin immò fermenta artis Chymicæ opera, acida, salsa, acria, & amara, vix posse hujus liquoris naturam induere qui nullius, ut ita dicam, saporis, omnes tamen corporis partes rore suo luculenter irrigat. Sed quidquid in ventriculo Chyli elaborationem promoveat, ad vitæ tutelam & firmam sanitatis conservationem nihil præstabilius, quàm eorum alimentorum delectus, quæ vel triturationi facilè cedant, vel, quod non mediocris famæ Medicis magis arridet, fermenti vires non possint eludere. Horum non modò conditionem, verùm & copiam diligentiùs attende. Si enim hujus ponderis sunt, ut tantum onus ventriculus vix sustineat, minùs bene confecto coctionis opere, brevi macies, & nova febrium cohors incubuerit. Misceantur igitur liquida solidis & cibo potus, eâ ratione, ut possint unà conferre ad hujus succi elaborationem, qui partes corporis singulas alere, fovere, & etiam, si adhuc explicari possunt, extendere valeat.

I I.

QUÆ virtus & quanta sit vivere parvo, non inter lances nitentesque mensas, verùm hîc impransi mecum disquirite. Mirum est quam tenuis victus immanem spirituum dissipationem valeat resarcire. Qui parciùs & duriùs vivunt, exiguum quod nobis vitæ curriculum Natura circunscripsit producunt ad extremam senectutem. Dummodò labor extuderit fastidia, cum sale panis latrantem stomachum benè leniet. Non in caro nidore voluptas summa sed in te ipso est. Paucis contentus erit quicunque id unum cupiet quod satis est, raro enim jejunus vulgaria temnit stomachus, spernitque cibum vilem. Sed dic quæso? Si fortioribus animantibus, aqua, herbæ, frumenta, pro potu & cibo, ad vires sustinendas sufficiant, si tam exiguo victu refecta, immensi ponderis onera per longa & aspera itinera gestant; putasne homines validioribus indigere alimentorum præsidiis? Ita sanè sentiunt voraces illi & gulæ omnino dediti, qui se cibis quotidiè ingurgitant, qui ad id unum propagare putant animalia, lucere solem, terram olera & fructus edere, ut sibi malè natam comedendi cupiditatem expleant. Horum palato minùs arridet, & nullius saporis est vinum à Naturâ diligentiùs elaboratum. Magno cum damno, magnâ cum arte & industriâ, spiritum ex ipso inflammabilem eliciunt, & quod viribus omnino prostratis & animi deliquio præsidium erat & equidem optimum, pro potu communi & assiduo sorbent. Sed quot & quanta sint hujus immodici victûs incommoda, & quæ malorum series tam lauta & splendida convivia consectetur, vix dixeris. Condimenti cujusque mole & pondere veluti oppressa ventriculi membrana, repetitis ictibus frustrà coctionem aggreditur, quin immo eodem nisu universi corporis fibræ tremulis motibus plerumque concutiuntur. Inde angores, anxietates, & nervorum subsultus; inde pallidi & veluti exanimes à cœnâ dubiâ surgunt, atque affigunt humo divinæ particulam auræ. Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum afferat. In-primìs valeas benè, vegetus præscripta ad munia surgas, memor illius escæ quæ simplex tibi olim sederit. At simul assis miscueris elixa, conchylia turdis, dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum lenta feret pituita.

I I I.

VERUM qualiscunque sit ad vitæ incolumis dinturnitatem temperantiæ necessitas, non tamen omnibus esse debet eadem vivendi consuetudo. Quemadmodum etenim in variis hominibus tam diversa sunt Oris lineamenta, ut vix duo inter se consentiant, sic & temperamenta dissimilia dissimilem postulant alimentorum apparatum. Si præterea Regionem, ætatem, corporis magnitudinem spectes, variam sanè victûs rationem instituas in tam variâ hominum constitutione. In his nempe Regionibus, in quibus propter caloris æstum languent vires & sanguis præter modum effervescit, indigent Incolæ potu glacie vel nive refrigerato, neque hoc præsidio absque maximo sanitatis discrimine carere possunt; quod equidem sub hoc cœlo potius voluptatis causâ in more est & plerumque nocet, nisi caloribus maximis & æstivo fervore in usum veniat. Sic Cerevisia, seu triticei latices mensis borealibus apta munera sunt, extis tetra venena meis: sic potio illa ex pomorum pirorumve succis expressis facta quæ apud Normannos familiaris est, in hisce nostris Provinciis minùs prodesset, in quibus vinum ut ita dicam usus quasi mancipavit. Sunt qui tamen ab illo facilè absti-

neant, & quorum ſtomachus ad ejus conſpectum nauſeat. Appetunt alii, forſitan quia vetus conſuetudo naturæ vim obtinuit. Aqua etenim germanus eſt hominum potus, & in ſe continet quidquid ad ſedandam ſitim neceſſe eſt. Verùm ætate jam provectâ, vinum de victu quotidiano penitus detrahere, res eſſet diſcriminis plena: ſufficit ſi damnosè non potetur, ſed moderatè. Idem de cibis dicendum eſt, quorum majorem ipſis copiam concedendam eſſe cenſemus qui valido & robuſto corporis habitu, aſſiduo labore macerantur; ſin minùs victûs parcimonia attenuati, vix hominum formam referunt & in ipſâ adoleſcentiâ ſenes apparent. Sic animalia magis minùſve veſcuntur dum laborant vel quieſcunt: ſed tu in quantùm poteris eos elige cibos, quos ſimplex natura paraverit. Addit enim illis ars gulæ illud unum, ut famem per damna revocent, alendis fovendiſque partibus minùs idonei: cave tamen ne vaganti fræna licentiæ injiciens nimium ſerves in victu modum; quibus etenim Diæta ad amuſſim eſt, iiſdem obſoniis corpus ſuum ita aſſuevêre ut ſi quid inſolitum deguſtent vix ſuſtineant, nec poſſint abſque periculo à tam ſeverâ vivendi normâ vel latum unguem recedere; ſe ſe tam cautè aëris inclementiæ ſubripiunt ut vix ſibi auram præbeant, vellent ſe in machinâ quoquoverſum occluſâ abſcondere, omnibus Reipublicæ officiis impares, quibus obeundis patientem eſſe decet pulveris atque ſolis; denique tam gravi ſanitatis curâ & ſollicitudine id efficiunt, ut moroſi vitam ducant faſtidioſam, nec morborum minùs expertem.

IV.

IN tam variâ & diſſimili vivendi ratione quæris quodnam vitæ genus inſtituas? Accipe, in promptu eſt. Illud quod tibi expertus ſis eſſe convenientius. Cibus ille amicus eſt qui te juvat, æquum eſt etenim omnes ſibi conſulere. Ne igitur ſanus & incolumis Medicum ſemper urgeas. His te alimentis refice, quæ in communem uſum veniunt, neque noxium putes quidquid univerſa plebis conſuetudo probavit eſſe innocuum. Abſtine tamen ab his epulis, in quibus exquiſitis ciborum irritamentis aviditas excitatur: fuge à cœnâ dubiâ. Apage inſidioſa condimenta quæ invenit ars gulæ, & quibus, corporum animorumque vigor ac robur omne dilabitur. Naturam ducem optimam auſculta & ſequere. Eſus potuſve neceſſitatem indicabit utriuſque appetentia, fames & ſitis; ſed fames vera & ſincera, quam heſternæ veſtigia crapulæ non ſtimulent; ſitis quæ vini luculenter potati ardore non promoveatur. Quid lædat, quid proſit attende. Eſcarum coctionem diligentius inſpice, & cave ne ſtomacho ſufficias quod vires ejus longè ſuperet; bene erit ſi non gravatus ſurrexeris à convivio; ſi ſimul atque ſopori membra dederis ſomnum plenum & optabilem ducas, nullis ſomniis, nullis anxietatibus conturbatum, qui corpus duris feſſum miniſteriis levet reddatque labori: ſi verò poſt menſam opiparam tibi nox inquieta & ſollicita, ſi manè lingua & fauces aridæ appareant, ſi moleſtè alvum ſubducat alimentorum congeries, ſi torminibus proceſliſque inteſtina commoveantur, pravæ & nondum perfectæ coctionis ſymptomata totidem exiſtimes. Hæc ſunt ſigna; & certa indicia quæ te ſanè non deludent, ex his judica quid ſit de victu quotidiano detrahendum, & tibi eam vivendi legem impone quæ tot & tantæ voracitatis vitia emendare valeat. Aliam non habet vulgus vitæ regulam, quam tamen non inertem, non deſidioſam ducit, ſed difficilem, & operoſam. At hujus generis hominum intemperantiam, arctiſſimis coërcet limitibus res anguſta domi, nec eos, niſi in improbis laboribus ſuſcipiendis, immoderatos eſſe patitur,

364

V.

NON ergo omnibus hominibus prodest eadem vivendi methodus, eademque victûs ratio. Sunt quos olera frugesque juvent, sunt qui piscibus delectentur, & quorum stomachus succi plenas animalium carnes respuat. Ab hoc se cibo abstinebat prisca gens mortalium : nondum etenim istam pabuli consuetudinem induxerat priorum mundi temporum simplicitas, quam sequentis ævi aviditas immanis familiarem hominum escam esse voluit. Illos tamen primos orbis incolas diuturniorem optimâ valetudine duxisse vitam testis est Historia omnium antiquissima sanctissimaque. Carnibus vescuntur alii sinè damno, & ad piscium & butyri intuitum nauseant. Sunt quibus oryza unicum alimentum est. Sunt denique quibus cujusve generis condimenta placent. Vix prandium de nomine noverat ætas parentum prima & unico, in die, pastu refici solebat. Hodiè, cœnam sibi omnino detrahendam existimant quam plurimi. *Thé*, *Café*, *Chocolata*, sitis irritamenta, quæ gulæ luxuries non ita pridem induxit, tanquam maxima sanitatis præsidia à nonnullis judicantur. Quidam Baccho intemperantiùs indulgent, seque languidos & exanimes conqueruntur, nisi hujus liquoris optimi beneficio foveantur. Nullam, sine vini subsidio, alimentorum elaborationem prædicant, sed crudam incoctamque congeriem unà cum excrementis, quà data porta, ruere. Aqua, aliis, ad perfectam dissolutionem & coctionem videtur idonea. Et re verâ quidquid nullius saporis est, omnes in se videtur habere dotes boni alimenti & optabilis. Etenim in utero matris gelatinâ dulcissimâ alitur fætus, cujus in locum lac post ortum sufficitur. Postea panis & aqua pro potu & cibo in usum veniunt, ita ut nonnisi vini & carnium abstinentiâ, eâque diuturnâ, corpora validiora & robustiora evadere experientiâ compertum sit. Quid plura ? Vario quisque, cibo & potu sese recreat & reficit, nec inde vitæ summa brevior nisi minus cautè sibi unusquisque provideat. Vires igitur, temperamentum, regionem, anni tempestatem, ætatem, corporis magnitudinem, attento animo perpendant singuli, & illud vitæ genus sibi instituant in quo contra omnem morborum impetum armati omnia in se habeant præsidia diu, benè, beatèque vivendi.

Ergo non omnibus hominibus convenit una & eadem vivendi ratio.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA LE BRETHON, Peronnæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1712.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medecinæ Typog. 1712.